



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660

S. Theresa V. 5. Octobris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42032

pugnauit: expugnatum, si agnoscimus, paupertate suâ ditauit. Porro animi candorem in viro, scilicet Lector, nives probauerunt, in quas se abiecit, & miratae puritatem sunt undae, quibus calorem improbum merfit. De animi ejus submissione quid dicam, & quo DEVM ardebat amore? Seraphinis à caelo sociatus, & in sede Angeli, quem superbia inde exturbârat, locandus, ultimum se mortalium, sed inter sceleratos principem dixit. Mariae adiectum fuisse ille non dubitabit, qui nouerit, quae gaudia in ejus aede (de Portiunculâ dixerunt) abstulit. Sed frustra sum. Herculem ego in hâc digitali tabellâ non pingo. Vin' compendium lector viti? Totum Christum in Francisco videbis, si vulnera eius inspicias. *Ex D. Bonau.*

O quàm gloriosum & magnum, habere in caelis patrem! ô quàm sanctum, Paracliticum pulchrum & amabilem habere sponsum! ô quàm sanctum & quantum delectabile, beneplacitum, humile, pacificum, dulce & amabile habere talem Fratrem, qui posuit animam suam pro ovibus suis? Ex Epist. S. Francisci.

S. THERESA V. 5. Octobris.

Quid, heu! quid cum praetextatis verbis tibi praetextata malè turba? disce, eia infantia rectè vel ab infante THERESA fari. *In aeternum! in aeternum!* ah quoties balbutiens clamitavit! Nos scilicet puerilem senectam, non senem aeternitatem in animo & linguâ gerimus, disertissimi infantes. At THERESA parvula cum parvulo fratre domo paternâ aufugit, ad Mauros abitura & brevi morte longam aeternitatem auspiciatura. Vivere tamen Deus illam, & ut viveret, quae ferè mors est liberorum, mori matrem voluit.

Illâ

Illam Matrem vicariam cælo MARIAM advocavit, nunquam abhinc orba futura. MARIA porro filiz suæ sponsum Filium conciliavit, quando ex sanctoribus amoribus Seraphinus ales cor THERESÆ terebravit. Ipse amor hominum Christus, quò certius illam fauciaret, sua vulnera dilectæ impressit, occulta tamen, ut ferè solet amor. Adfuit deinde sæpè sponsæ, nunc cruce pro more chlamydatæ, nunc spineâ, quæ illum maximè decet, corollâ ornatus, nunc qualis mortem triumphavit, conspicuus. Arrhæ ab eodem datæ gemmæ quaternæ & pendulæ è Rosario Crucis additæ, Dos verò omne cælum: cujus opes cum quandoque THERESÆ CHRISTVS ostentasset, *Viden' ajebat, (tute tibi lector dictû putâ) quantis se bonis peccatores spoliens?* Sed & veste nuptiali cum Ordinem, quem Carnelitarum dicimus, restauraret, Virgo MATER & VIRGINIS SPONSVS IOSEPHVS cælo allatâ exornarunt, ut nihil jam ad nuptias deesset, nisi quæ faciem præferret, anno MD.LXXXII. mors beata. *Ex vitâ.*

Prudenter sagittari, & impugnari salubriter postulat sanctus, cum dicit in oratione, Confige timore tuo carnes meas. Optima timor iste sagitta, qui conficit & interficit carnis desideria, ut spiritus salvus sit. S. Bernard. serm. 29. in Cant.

S. MEINVLPVVS C. 5. Octobris.

VIX MEINVLPVVS illa Christi verba audierat: *Vulpes foveas habent, & volucres cali nidus, Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet,* cû apud se constituit non solû Christo locum in animo suo facere (ubi enim ille libentiùs nidulareretur?) sed & templum ponere. Circumspicienti aream, de-